

sed quod post mortem vivat, post cæcitatem videat, post debilitatem claudus ambulet, hoc natura facere non potest, sed Deus interdum miraculose operatur. Inter hæc etiam miracula gradus attenditur secundum quod id quod fit, magis est à facultate naturæ remotum.

Tertius autem gradus miraculorum est cum Deus facit quod consuetum est fieri operatione naturæ, tamen absque naturæ principii operantibus, sicut cum aliquis à febre curabili per naturam, virtute divina curatur, & cum pluit sine operatione principiorum naturæ.

C A P U T CII.

Quod solus Deus potest miracula facere.

I. Part. quest. cx. art. 4.

EX præmissis autem ostendi potest, quod solus Deus potest facere miracula.

1. Quod enim est sub ordine totaliter constitutum, non potest præter ordinem illum operari. Omnis autem creatura est constituta sub ordine quem Deus in rebus statuit. Nulla ergo creatura potest supra hunc ordinem operari: quod est miracula facere.

2. Item. Quando aliqua virtus finita proprium effectum operatur ad quem determinatur, non est miraculum; licet posset esse mirum alicui qui illam virtutem non comprehendit, sicut mirum videtur ignaris quod magnes trahit ferrum, vel quod aliquis parvus piscis sit retinens navem. Omnes autem creaturæ potentia est limitata ad aliquem determinatum effectum, vel ad aliquos. Quicquid ergo virtute cujuscumque creaturæ fiat, non potest dici miraculum proprie, etsi sit mirum creaturæ virtutem illius non comprehendenti; quod autem fit à virtute divina, quæ cum sit infinita, de se incomprehensibilis est, vere miraculum est.

3. Amplius. Omnis creatura in sua actione requirit subjectum aliquod in quod agit; solius autem Dei est ex nihilo aliquid facere, ut supra Lib. I. cap. xvi. ostensum est. Nihil autem quod requirit in sua actione subjectum, potest agere nisi illa ad quæ subjectum est in potentia: hoc enim agens in subjectum aliquid operatur ut educat illud de potentia in actum. Nulla igitur creatura sicut nec creare potest, ita & nec agere potest in aliqua re nisi quod est in potentia illius rei. Fiant autem multa miracula divinitus dum in re aliqua fit divina virtute quod non est in potentia illius rei, sicut quod mortuus reviviscat, & quod Sol retrocedat, & quod duo corpora sint simul. Hæc igitur miracula nulla virtute creatæ fieri possunt.

4. Adhuc. Subjectum in quod agitur, ordinem habet & ad agens quod reducit ipsum de potentia in actum, & ad actum in quem reducit. Sicut ergo subjectum aliquod est in potentia ad aliquem determinatum actum, & non ad quemlibet; ita non potest reduci de potentia in actum determinatum nisi per agens aliquod determinatum. Requiritur enim agens diversimode ad reducendum in diversum actum: nam cum aer sit in potentia ignis, & aqua; alio agente fit actu ignis & alio aqua. Similiter etiam patet quod materia corporalis in aliquem actum perfectum non reducit à sola virtute universali agente; sed oportet esse aliquod agens proprium per quod determinetur impressio universalis virtutis ad determinatum effectum. In actum autem minus perfectum potest materia corporalis sola virtute universali absque particu-

lari agente. Animalia enim perfecta non solum generantur ex sola virtute cœlesti, sed ad hoc requiritur determinatum semen; ad generationem vero quorundam imperfectorum animalium sola virtus cœlestis sufficit sine semine. Effectus igitur qui in his inferioribus fiunt, si sint nati fieri à causis universalibus superioribus, sine operatione causarum particularium inferiorum, non est miraculum si sic fiant, sicut non est miraculum quod animalia ex putrefactione sine semine nascantur; si autem non sunt nati fieri per solas causas superiores, requiruntur ad eorum complementum causæ inferiores particulares. Cum autem aliquis effectus producat ab aliqua causa superiori medianibus propriis principii, non est miraculum. Nullo igitur modo virtute superiorum creaturarum aliqua miracula fieri possunt.

5. Amplius. Eiusdem rationis esse videtur quod aliquid operetur ex subjecto, & quod operetur id ad quod est in potentia subjectum, & quod ordinate operetur per determinatam media. Nam subjectum non fit in potentia propinqua ad ultimum, nisi cum fuerit actu in medio, sicut cibus non est statim in potentia caro, sed cum fuerit conversus in sanguinem. Omnis autem creatura necesse habet uti subjecto ad hoc quod aliquid faciat; nec potest facere nisi ad quod subjectum est in potentia, ut ostensum est cap. II. Lib. Ergo non potest facere aliquid, nisi subjectum reducat in actum per determinatam media. Miracula igitur, quæ sunt ex hoc quod aliquis effectus producat non illo ordine quo naturaliter fieri potest, virtute creaturæ fieri non possunt.

6. Adhuc. Inter species motus ordo quidam naturalis attenditur. Nam primus motus est motus localis, unde & causa aliorum existit: primum enim in quolibet genere causa invenitur eorum quæ in illo genere consequuntur. Omnis autem effectus qui in his inferioribus producat, per aliquam generationem, vel alterationem necesse est ut producat. Oportet igitur quod per aliquid localiter motum hoc proveniat, si fiat ab aliquo agente incorporali, quod proprie localiter moveri non possit. Effectus autem qui fiunt à substantiis incorporeis per corporea instrumenta, non sunt miraculosi: corpora enim non operantur nisi naturaliter. Non igitur substantiæ incorporeæ creatæ possunt aliqua miracula facere propria virtute, & multo minus substantiæ corporeæ, quarum omnis actio naturalis est. Solius igitur Dei est miracula facere: ipse enim est superior ordine sub quo universa continentur, sicut à cuius providentia totus hic ordo fluit: ejus etiam virtus, eum sit omnino infinita, non determinatur ad aliquem specialem effectum, neque ad hoc quod effectus illius producat aliquo determinato modo, vel ordine. Hinc est quod in Psal. cxxxv. 4. dicitur de Deo: *Qui facit mirabilia magna solus.*

C A P U T CIII.

Quod substantiæ spirituales aliqua miracula operantur, quæ tamen non sunt vere miracula.

I. Part. quest. cx. art. 4.

Fuit autem positio Avicennæ (Lib. VIII. de Anima cap. ult. & Lib. VI. cap. II.) quod substantiis separatis multo magis obedit materia ad productionem alicujus effectus quam contrariis agentibus in natura: unde ponit, quod ad apprehensionem prædictarum substantiarum sequitur interdum effectus ali-

aliquis in istis inferioribus, vel pluviarum, vel sanitatis alicujus infirmi, absque aliquo corporeo agente medio. Cujus quidem signum ab anima nostra accipit, quæ cum fuerit fortis in sua imaginatione, ad solam apprehensionem immutatur corpus; sicut cum quis ambulans super trabem in alto positam cadit de facili, quia imaginatur casum ex timore; non autem caderet, si esset trabes illa posita super terram, unde casum timere non posset. Manifestum est autem quod ad solam apprehensionem animæ calescit corpus, sicut accidit in concupiscentibus, vel iratis; aut etiam in frigidatur, sicut accidit in timentibus. Quandoque etiam immutatur ex forti apprehensione ad aliquam ægritudinem, puta febrem, vel etiam lepram. Et per hunc modum dicit, quod si anima sit pura, non subjecta corporalibus passionibus, & fortis in sua apprehensione, quod obedit apprehensioni non solum corpus proprium, sed corpora etiam exteriora; adeo quod ad ejus apprehensionem sanetur aliquis infirmus, vel aliquis hujusmodi. Et hoc ponit esse causam fascinationis: quia anima alicujus vehementer affecta in malevolentia, habet impressionem nocentem in aliquem, maxime puerum, qui propter corporis teneritudinem est facile susceptivus impressionum. Unde vult quod multo amplius ad apprehensionem substantiarum separatarum, quas ponit animas, vel motores orbium, sequantur aliqui effectus in istis inferioribus absque actione alicujus corporalis agentis. Hæc autem positio satis consona est aliis suis positionibus. Ponit enim quod omnes formæ substantiales effluant in hæc inferiora à substantia separata, & quod corporalia agentia non sunt nisi disponentia materiam ad suscipiendam impressionem agentis separati.

Quod quidem non est verum, secundum Aristotelis doctrinam, qui probat in VII. Metaphysic. text. comm. xxviii. & seq. quod formæ quæ sunt in materia, non sunt à formis separatis, sed à formis quæ sunt in materia: sic enim invenitur similitudo inter faciens & factum. Exemplum etiam quod sumitur de impressione animæ in corpus, non multum adjuvat ejus intentionem. Non enim ex apprehensione sequitur aliqua immutatio corporis, nisi apprehensioni adjuncta fuerit affectio aliqua, ut gaudij, vel timoris, vel concupiscentiæ, aut alterius passionis. Hujusmodi autem passionem accidunt cum aliquo determinato motu cordis, ex quo sequitur ulterius immutatio totius corporis vel secundum motum localem, vel secundum alterationem aliquam: unde adhuc remanet quod apprehensio spiritualis non alterat corpus nisi mediante motu locali. Quod autem de fascinatione inducit, non ob hoc accidit quod apprehensio unius immediate immutat corpus alterius; sed quia mediante motu cordis immutat corpus conjunctum, cujus immutatio pervenit ad oculum, à quo infici potest aliquid extrinsecum, præcipue si sit facile immutabile, sicut etiam oculus menstruat inficit speculum. Substantia igitur spiritualis creata propria virtute nullam formam inducere potest in materiam corporealem, quasi materia ad hoc sibi obediente, ut exeat in actum alicujus formæ, nisi per motum localem alicujus corporis. Est enim hoc in virtute substantiæ spiritualis creatæ ut corpus obediat sibi ad motum localem; movendo autem localiter aliquod corpus, adhibere potest aliqua naturaliter activa ad effectus aliquos producendos, sicut etiam ars fabrilis adhibet ignem ad mollificationem ferri. Hoc autem non est miraculum proprie loquendo. Unde relinquitur quod substantiæ spirituales creatæ non faciunt miracula propria virtute. Dico autem propria virtute: quia nihil pro-

hibet hujusmodi substantias spirituales, in quantum agunt virtute divina, miracula facere: quod etiam ex hoc videtur quod unus ordo Angelorum specialiter deputatur, ut Gregorius dicit (hom. xxxiv. in Evang.) ad miracula faciendâ: qui etiam dicit Dial. Lib. II. cap. xxxi. quod quidam Sancti interdum miracula faciunt ex potestate, non solum ex intercessione.

Considerandum tamen est, quod cum res aliquas naturales vel Angeli, vel dæmones adhibent ad aliquos determinatos effectus, utuntur eis quasi instrumentis quibusdam, sicut Medicus utitur ut instrumentis, aliquibus herbis ad sanandum. Ex instrumento autem procedit non solum suæ virtuti correspondens effectus, sed etiam aliquid ultra propriam virtutem, in quantum agit in virtute principalis agentis: sicut enim, & securis non possunt facere lectum, nisi in quantum agunt ut motæ ab arte, & ad talem effectum, nec calor naturalis posset carnem generare nisi virtute animæ vegetabilis, quæ utitur ipso quasi quodam instrumento. Conveniens est igitur quod ex ipsis rebus naturalibus proveniant aliqui aliores effectus ex hoc quod spirituales substantiæ eis utuntur quasi instrumentis quibusdam. Sic ergo licet tales effectus simpliciter miracula dici non possint, quia ex naturalibus causis proveniunt, mirabiles tamen redduntur nobis dupliciter. Uno modo ex hoc quod per spirituales substantias tales causæ modo nobis inconstituto ad proprios effectus apponuntur: unde ingeniosorum artificum opera mira redduntur, cum ab aliis non percipiuntur qualiter operantur. Alio modo ex hoc quod causæ naturales appositæ ad effectus aliquos producendos aliquid virtutis sortiuntur ex hoc quod sunt instrumenta spiritualium substantiarum: & hoc magis accedit ad rationem miraculi.

C A P U T CIV.

Quod opera magorum non sunt solum ex impressione cœlestium corporum.

Fuerunt autem quidam dicentes, quod hujusmodi opera nobis mirabilia quæ per artes magicas fiunt, non ab aliquibus spiritualibus fiunt substantiis, sed ex virtute cœlestium corporum. Cujus signum videtur quod ab exercentibus hujusmodi opera, stellarum certus situs consideratur. Adhibentur etiam quædam herbarum, & aliarum corporalium rerum auxilia, quasi ad præparandam inferiorem materiam ad suscipiendam influentiam virtutis cœlestis.

1. Hoc autem expresse adversatur apparentibus. Cum enim non sit possibile ex aliquibus corporis principii intellectum causari, ut supra cap. lxxxiv. probatum est, impossibile est quod effectus qui sunt proprii intellectualis naturæ, ex virtute cœlestis corporis causentur. In hujusmodi autem operationibus magorum apparent quædam quæ sunt propria rationalis creaturæ opera. Redduntur enim responsa de furtis sublati, & de aliis hujusmodi: quod non posset fieri nisi per intellectum. Non igitur est verum omnes hujusmodi effectus sola virtute cœlestium corporum causari.

2. Præterea. Ipsa loquela proprius actus est rationalis naturæ. Apparent autem aliqui colloquentes hominibus in prædictis operationibus, & ratiocinantes de diversis. Non est igitur possibile quod hujusmodi fiant sola virtute cœlestium corporum.

Si quis autem dicat, quod hujusmodi apparentiæ non sunt secundum sensum exteriorem, sed secundum

dum imaginationem tantum; hoc quidem primo non videtur verum. Non enim alicui apparent formæ imaginatæ quasi res vere, nisi fiat alienatio ab exterioribus sensibus: quia non potest esse quod similitudinibus attendatur tamquam rebus, nisi ligato naturali iudicio sensus. Huiusmodi autem colloquutiones, & apparitiones fiunt ad homines qui utuntur libere sensibus exterioribus. Non est igitur possibile quod huiusmodi visa, vel audita sint secundum imaginationem tantum.

3. Deinde. Ex quibuscumque formis imaginatis non potest alicui provenire intellectualis cognitio ultra facultatem naturalem, vel acquisitam sui intellectus; quod & in somniis patet: in quibus etsi sit aliqua præsignatio futurorum, non tamen quicumque videns somnia, eorum significata intelligit. Per huiusmodi autem visa, vel audita, quæ apparent in operibus magorum, plerumque advenit alicui intellectualis cognitio aliquorum quæ sui intellectus facultatem excedunt, sicut revelatio occultorum thesaurorum, manifestatio futurorum; & quandoque etiam de aliquibus documentis scientiæ alicujus aliquibus vera respondentur. Oportet ergo quod vel illi apparentes, & colloquentes non videant secundum imaginationem tantum, vel saltem quod hoc fiat virtute alicujus intellectus superioris, quod homo per huiusmodi imaginationes in cognitionem talium adducatur, & non fiat hoc solum virtute celestium corporum.

4. Adhuc. Quod virtute celestium corporum fit, est effectus naturalis: nam formæ naturales sunt quæ in inferioribus causantur ex virtute celestium corporum. Quod igitur nulli rei potest esse naturale, non potest fieri virtute celestium corporum. Quædam autem talia fieri dicuntur per operationes prædictas, sicut quod ad præsentiam alicujus quæcumque sera ei pandatur, quod aliquis invisibilis reddatur, & multa huiusmodi narrantur. Non est igitur possibile hoc fieri virtute celestium corporum.

5. Amplius. Cuiusque virtute celestium corporum confertur quod posterius est, confertur & ei quod prius est. Moveri autem per se consequitur ad habere animam: animatorum enim proprium est quod moveant se ipsa. Impossibile est igitur fieri virtute celestium corporum quod aliquid inanimatum per se moveatur. Fieri autem hoc per magicas artes dicitur, quod aliqua statua per se moveatur, aut vocem emittat. Non est igitur possibile quod effectus magicarum artium fiat virtute celesti.

Si autem dicatur, quod statua illa sortitur aliquod principium vitæ virtute celestium corporum; hoc est impossibile. Principium enim vitæ in omnibus viventibus est forma substantialis: vivere enim est esse viventibus, ut Philosophus dicit in II. de Anima. Impossibile est autem quod aliquid recipiat aliquam formam substantialem de novo, nisi amittat formam quam prius habuit: generatio enim unius est corruptio alterius. In fabricatione autem alicujus statuæ non adjicitur aliqua forma substantialis, sed fit transmutatio solum secundum figuram, quæ est accidens: manet enim forma cupri, vel alicujus huiusmodi. Non igitur est possibile quod huiusmodi statuæ sortiantur aliquod principium vitæ.

6. Adhuc. Si aliquid per principium vitæ moveatur, necesse est quod habeat sensum: movens enim est sensus, vel intellectus. Intellectus autem in generabilibus, & corruptibilibus non est sine sensu; sensus autem non potest esse ubi non est tactus; nec tactus sine organo medie temperato: talis autem temperies

non invenitur in lapide, vel cera, vel metallo, ex quo fit statua. Non est igitur possibile quod huiusmodi statuæ moveantur per principium vitæ.

7. Amplius. Viventia perfecta non solum generantur ex virtute celesti, sed etiam ex semine: homo enim generat hominem, & Sol. Quæ autem virtute celesti sine semine generantur, sunt animalia generata ex putrefactione, quæ inter alia ignobiliora sunt. Si igitur per virtutem celestem solum huiusmodi statuæ sortiuntur principium vitæ, per quod moveant se ipsa; oportet ea esse ignobilissima inter animalia; quod tamen esset falsum, si per principium vitæ intrinsecum operentur: nam in earum actibus apparent nobiles operationes, cum respondeant de occultis. Non est igitur possibile quod operentur, vel moveantur per principium vitæ.

8. Item. Effectum naturalium virtute celestium corporum productum contingit inveniri absque artis operatione. Etsi enim aliquo artificio aliquis operetur ad generationem ranarum, vel aliquorum huiusmodi, contingit tamen generari ranas absque omni artificio. Si ergo virtute celestium corporum huiusmodi statuæ quæ per artem necromanticam fiunt, sortiantur principium vitæ, erit invenire generationem aliam absque huiusmodi arte. Hoc autem non invenitur. Manifestum est igitur quod huiusmodi statuæ non habent principium vitæ, neque moventur virtute celestis corporis.

Per hoc autem excluditur positio Hermetis, qui sic dixit, ut Augustinus refert VIII. de civit. Dei cap. xxiii. *Deus sicut effector est deorum celestium, sic homo factor est deorum qui in templis sunt humana proximitate contenti: statuas dico animatas sensu, & spiritu plenas, tantaque facientes & talia; statuas futurorum præscias; easdem de somniis, & multis aliis rebus prædicentes, & imbecillitates hominibus facientes, eosque curantes, trisitiam, latitiamque dantes pro meritis.*

Hæc autem positio auctoritate divina destruitur: dicitur enim in Psalm. cxiii. 4. *Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum: os habent, & non loquentur. . . neque enim est spiritus in ore ipsorum.* Psalm. cxxxiv. 17.

Non videtur autem omnino negandum quin in prædictis ex virtute celestium corporum aliquid virtutis esse possit, ad illos tamen solos effectus quos virtute celestium corporum aliqua inferiora corpora producere possunt.

CAPUT CV.

Unde magorum operationes efficaciam habeant.

Investigandum autem relinquitur, unde artes magicæ efficaciam habent: quod quidem facile perpendi potest, si modus operationis earum attendatur.

1. In suis enim operationibus utuntur vocibus quibusdam significativis ad determinatos effectus producendos. Vox autem, in quantum est significativa, non habet virtutem nisi ex aliquo intellectu, vel ex intellectu proferentis, vel ex intellectu eius ad quem proferitur. Ex proferentis quidem intellectu, sicut aliquis intellectus sit tantæ virtutis quod sua conceptione res possit causare: quam quidem conceptionem, vocis officio producendis effectibus quodammodo præsentat. Ex intellectu autem eius ad quem sermo dirigitur, sicut cum per significationem vocis in intellectum receptam, audiens inducitur ad

ali-

aliquid faciendum. Non autem potest dici, quod voces illæ significantivæ a magis prolata; efficaciam habent ex intellectu proferentis. Quum enim virtus essentialis consequatur, virtutis diversitas essentialium principiorum diversitatem ostendit. Intellectus autem communiter hominum huius dispositionis invenitur, quod ejus cognitio ex rebus causatur magis quam sua conceptione res possint transmutare propria virtute; erunt alterius speciei, & dicentur æquivoce homines.

2. Amplius. Virtus faciendi non acquiritur per disciplinam, sed solum cognitio aliquid faciendi. Per disciplinam autem aliqui acquiritur quod huiusmodi operationes magicas efficiant. Non est igitur in eis ad huiusmodi effectus producendos virtus aliqua, sed cognitio sola.

Si quis autem dicat, quod huiusmodi homines a sua nativitate ex virtute stellarum sortiuntur præceteris virtutem prædictam, ita quod quantumcumque alii instruantur qui hoc ex nativitate non habent, efficaces in huiusmodi operibus esse non possunt: primo quidem dicendum est, quod corpora celestia super intellectum imprimere non possunt, ut supra cap. lxxxiv. ostensum est. Non igitur ex virtute stellarum sortiri potest intellectus alicujus hanc virtutem quod representatio suæ conceptionis per vocem sit alicujus effectiva.

Si autem dicatur, quod etiam imaginatio aliquid in prolatione vocum significantiarum operatur, super quam possunt corpora celestia imprimere, cum huiusmodi operatio sit per organum corporale: hoc non potest esse quantum ad omnes effectus qui per huiusmodi artes fiunt. Ostensum est enim quod non possunt omnes effectus virtute stellarum produci. Ergo neque ex virtute stellarum aliquis sortiri potest hanc virtutem ut eosdem effectus producat. Relinquitur igitur quod huiusmodi effectus compleantur per aliquem intellectum, ad quem sermo proferentis per huiusmodi voces dirigitur. Huius autem signum est, nam huiusmodi significantivæ voces quibus magi utuntur, invocationes sunt, supplicationes, adjurationes, aut etiam imperia quasi ad alterum colloquentis.

Item. In observationibus huius artis utuntur quibusdam characteribus, & figuris determinatis. Figura autem nullius actionis principium est, neque passionis; alias mathematica corpora essent activa & passiva. Non ergo potest per figuras determinatas disponi materia ad aliquem naturalem effectum suscipiendum: non ergo utuntur magi figuris aliquibus quasi dispositionibus. Relinquitur ergo quod utuntur eis solum quasi signis: non enim est aliud determinatum dare. Signis autem non utimur nisi ad alios intelligentes. Habent ergo magicæ artes efficaciam ab illo intelligente ad quem sermo magi dirigitur.

Si quis autem dicat, quod figuræ aliquæ appropriantur aliquibus celestium corporum, & ita corpora inferiora determinantur per aliquas figuras ad aliquorum celestium corporum impressiones suscipiendas: videtur non rationabiliter dici. Non enim ordinatur aliquod patiens ad suscipiendas impressiones agentis nisi per hoc quod est in potentia. Illa ergo tantum determinant ipsum ad specialem impressionem suscipiendam per quæ in potentia fit quodammodo. Per figuras autem non disponitur materia ut sit in potentia ad aliquam formam: quia figura abstrahit secundum suam rationem ab omni

materia, & forma sensibili, cum sit quoddam mathematicum. Non ergo per figuras, & characteres determinatur aliquod corpus ad suscipiendam aliquam influentiam celestis corporis.

2. Præterea. Figuræ aliquæ appropriantur corporibus celestibus ut effectus ipsarum, nam figuræ inferiorum causantur a corporibus celestibus. Prædictæ autem artes non utuntur characteribus, aut figuris quasi effectibus celestium corporum, sed sunt effectus hominis operantis per artem. Appropriatio igitur figurarum ad aliqua celestia corpora nihil ad propositum facere videtur.

3. Item. Per figuras non disponitur aliqua materia naturalis ad formam, ut ostensum est. Corpora igitur in quibus sunt impressæ huiusmodi figuræ, sunt ejusdem habitatis ad recipiendum influentiam celestem cum aliis corporibus ejusdem speciei. Quod autem aliquid agat in unum eorum quæ sunt æqualiter disposita propter aliquid sibi appropriatum ibi inventum, & non in aliud, non est operantis per necessitatem naturæ, sed per electionem. Patet ergo quod huiusmodi artes figuris utentes ad effectus aliquos producendos, non habent efficaciam ab aliquo agente per naturam, sed ab aliqua intellectuali substantia per intellectum agente. Hoc etiam demonstrat & ipsum nomen quod talibus figuris imponunt, characteres eos dicentes. Character enim signum est: in quo datur intelligi quod figuris huiusmodi non utuntur nisi ut signis exhibitis alicui intellectuali naturæ.

Quia vero figuræ in artificialibus sunt quasi formæ specificæ, potest aliquis dicere, quod nihil prohibet quin constitutionem figuræ, quæ dat speciem imagini, consequatur aliqua virtus ex influentia celesti, non secundum quod figura est, sed secundum quod causat speciem artificiatam, quod adscribitur virtutem ex stellis. Sed de litteris quibus inscribitur aliquid in imagine, vel aliis characteribus, nihil aliud potest dici quam quod signa sunt: unde non habent ordinem nisi ad aliquem intellectum. Quod etiam ostenditur per sacrificia, prostrationes, & alia huiusmodi, quibus utuntur, quæ non possunt esse nisi signa reverentiæ exhibitæ alicui intellectuali naturæ.

CAPUT CVI.
Quod substantia intellectualis quæ efficaciam præstat magis in magicis operibus, non est bona.

EST autem ulterius inquirendum, quæ sit hæc intellectualis natura cujus virtute tales operationes fiunt. Et primo quidem apparet quod non sit bona, & laudabilis.

1. Præstare enim patrocinium aliquibus quæ sunt contraria virtuti, non est alicujus intellectus bene dispositi. Hoc autem fit ex huiusmodi artibus: fiunt enim plerumque adulteria, furta, homicidia, & alia huiusmodi maleficia procurantur: unde utentes his artibus malefici vocantur. Non est ergo bene disposita secundum virtutem intellectualis natura, cujus auxilio huiusmodi artes innituntur.

2. Item. Non est intellectus bene dispositi secundum virtutem, familiarem esse, & patrocinium exhibere sceleratis, non quibuslibet optimis viris. Huiusmodi autem artibus utuntur plerumque homines scelerati. Non est igitur intellectualis natura cujus auxilio hæc artes efficaciam habent, bene disposita secundum virtutem.

Ad-